

F O S S A S. M A R I Æ.

forum tria millia aut amplius adhibebantur. Quare ordines affixo passim per agros Gelriæ edicto summa incommoda denunciarunt, quotquot operam suam ad istam rem conferrent, militumque arbitrio operantes omnes permiserunt. Quas minas veluti terriculamenta nihil illi morati perrexere. Sub finem mensis Iunii eo venere lustratum operas ipsa Archidux Isabella, Cardinalis de Queva, & Marchio Spinola, comitantibus equitum turmis triginta & sclopetariis bis mille. Mense Augusto centurio Wolfius collectis hinc inde sclopetariis mille impetum fecit in Castellum regium, & interfectis quotquot se dedere nollent, injectoque in tuguria fossorum igne, abductis captivis quadraginta, & tormentis bellicis duobus, altera jam vice triumphabundi abiere. Intermissis aliquamdiu operis, iterum eandem repetere cœperunt Berkam Gelramque inter, mense Ianuario, anno 1628. Iamque eo perducta erat Fossa, ut aliquem sui usum promittere videretur. Quamobrem tertio turbatus labor ab incurstante Ordinum equitatu. Ex eo, & præcipue post captam Vesaliam & in ulteriore Rheni ripa Burichium, cum nostrorum excursionibus pateret Fossa, intermissus labor, irritusque magna molientium conatus in fumum abiit, ut jam & hic Belgæ Isthmum perfodere voluisse veteri proverbio dici possint. Dicta autem fossa ista fuit Eugeniana, quia Isabellæ Eugenix auspiciis res cœpta. Et ne Numen abesset grandi incepto, appellata alio nomine Fossa S. Mariæ.

*Urbes Fossam terminantes.*

*Berka.*

Cum autem Fossa hæc tres urbes exhibeat sibi vicinas, quarum duæ illam terminant, Berka & Venloa, una media est Geldra, non abs re fuerit pauca de iis dixisse.

*Berka* in ripa Rheni Gallica sita est, oppidum non magnitudine sua, sed belli studiis clarum. Dum enim modo Hispanis, modo Ordinibus Federatis parere cogitur, & exercitus obsidionemque utriusque partis perfert, fama belli

Belgici passim inclaruit.

*Gelria* mediocre quoque, sed validè satis munitum oppidum, universo Ducatui nomen fecit. Distat Strala leucis duabus minoribus. Hinc oriundus fuit Gerardus Matthysius vir doctrina clarissimus, ac magnus Aristotelicus; fuit indidem & Guilielmus Veldius, ordinis D. Augustini, eruditus ac venerabilis vir, ut ex variis ejus scriptis hodieque extantibus constat, quem tamen Trithemius vult fuisse Venloniensem.

*Gelria.*

*Venlona* sita est ad dexteram ripam Mosæ, & Strala sesqui leuca tantum abjuncta, oppidum adversus bellicos insultus probe munitum. In hoc, anno 1543, dedit se Carolo V, Imperatori Clivix & Iuliaci Dux Ioannes Guilielmus, subsecuta inter utrumque pactione. Anno 1632 in potestatem Ordinum Fœderatorum venit, ductu Frederici Henrici Arausionensium Principis, &c. sed obsidione recepit Card. Ferd. 1637.

*Venlona.*

Nec longe à Fossa occurrunt *Strala & Wachtendoncka*. Hæc à nostris aliquando stratagemate capta, jam denuo juris Hispaniensis. Imminet fluvio Niersiæ, vulgo de *Niers*. Etiam *Meurfa* occurrit, Comitatus titulo insignitum oppidum, munimine maxime clarum. Vixit hic per annos triginta & ultra virgo celebris, Eva Vliegh dicta, quæ tot annorum inedia credebatur tulisse & absque nutritione vitam incolumis, licet macilentior, traxisse. Verum cum morbo longiore lectulo esset affixa, jamque cibum poscere, nec egesta abscondere posset, deprehensum, illam hæcenus non solum patriæ suæ civibus, Comitibusque Meursiæ, verum etiam toti orbi imposuisse, cui jam persuasum erat, miraculo rem tantam accidisse. In carcerem compacta à Magistratu fuit, moxque iterum dimissa, quod muliebris fraus ac impostura venia digna judicaretur. Urbis Comitatusque Dominium jam ad Nassovios spectat, & quidem in præsentiarum ad Fredericum Henricum, Principem Auriacum.

*Urbes vicinae.*

